GEORGII ERNESTI STAHL,
D. ET PROF. PUBL. h. t. FACULT.
DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

De

ABSTINENTIA ET NAUSEA CARNIUM IN MORBIS, PRÆCIPUE ACUTIS.

VEteres Medici, ut corporis temperiem adumbrarent, ab ipſis Elementis initium ducentes, eo ipſo ultra primas, ſive Elementares, qualitates, progredi non potuerunt. Unde tum temperiem tum intemperiem corporis, non niſi in calido, frigido, humido, ſicco, recte aut perperam inter ſe proportionatis, poſuerunt. Nata inde eſt conſideratio illa, varia quidem, non tamen multiplex, craſeos humorum; Et attributæ huic multæ labes, quæ tamen experientiæ vel non ita exactè reſponderunt: Vel ad minimum, quomodo ita materialiter, ad tam varios affectus producendos, aut inducendos, faciant, applicari non potuerunt: Unde nihil, niſi generaliſſima talis energia atque habitudo inde concipi potuit. At vero quemadmodum longè melius quadrat, propiores & proximas potiùs, quam longinquas & remotas, primas nempè ſeu extremas, rerum cauſas, ad ſcientiam, circà tales res concinnandam, colligere: Ita etiam in conſideratione principiorum corporis humani proximorum, comodius credo fuerit, non tam communia omnibus rebus quam propria hujus corporis, primordia, inveſtigare; Quæ nimirum in illo genere, & generali conceptu, non principia ſunt, ſed principiata. Nimirum, ut brevioribus rem complectamur, conſtat corpus animale è materia glutinosâ, pingui, & terrea; Terrea præcipuè conſiſtentiam & firmitudinem ſubminiſtrat; oſſeis duris partibus proinde ſpeciatim familiaris; Glutinoſa, flexilibus quidem & mollibus, ſed & tenacibus, neque ita facile rumpendis & frangendis membris apta, toti ſyſtemati fibroſo materiam ſubminiſtrat: Pinguis materia proſpicit huic potisſimum conſiſtentiæ, ne temerè ab humiditate emolliri & diſſolvi queat: Siquidem utique humiditas moderata, etiam ad glutinoſæ iſtius ſubſtantiæ perpetuam flexilitatem conſervandam, omni modo neceſſaria eſt.

Naſcitur interim ex hujusmodi miſcela, conſiſtentia

cor-

corporis ad diſſolutionem putredinoſo-fermentativam maximoperè diſpoſita, imò veluti præceps; Et hoc quidem tantò promtius, ſi humiditas quidem mediocriter abundet, tota verò materia in loco quieta hæreat atque jaceat: Siquidem quies localis, ad inteſtini ſive ſitualis motûs promotionem, plurimum facit.

Quemadmodum verò tota compages corporis, in genere, ex hujusmodi principiis, ſeu textura atque mixtione conſtat; ita ſpecialiſſimè ſangvis, lux uriat veluti hâc eâdem craſi: Ita, ut optimo jure dicere liceat, ſanguinem eſſe unum ê maximè corruptibilibus hujus univerſi mixtis. Eſt verò corruptio putredinoſa ejus generis, ut præ omnibus aliis, & imprimis præ vinoſo-acetoſa, plurimum repentina atq; præceps exiſtat; & quidem non tam ſimplici actu, quàm præcipuè multiplicato celeriter progreſſu, corruptionis, ut ex vera atque ſolida theoria putrefactionis, non poteſt non diluceſcere. Huic corruptioni, occurritur perpetuo motu ſanguinis; Et quidem non motu, ut vulgo dicitur, quaſi nempè motus ſimpliciter putrefactionem impedire, aut tollere poſſet: Sed potius perpetuis ſecretionibus ſubtiliorum, agiliorum, ad diffundendam hanc corruptionem fermenti loco inſervientium particularum, quæ ſub motu hoc ſanguinis per colatoria vatia perpetuo hinc inde ſecernuntur, & ſenſim ex univerſo corpore expelluntur.

Propter hunc itaque finem, inſtitutum eſt univerſum negotium circulationis ſangvinis: Id eſt, totum negotium pulſus; Operoſum illud atque perpetuum, imò indeſinenter continuandum, negotium: Siquidem interjecta quantumlibet longiore morâ, ſi progreſſus ſangvinis ſufflaminetur, immediatè â detentione ſive ſtaſi, coagulatio, & ab hoc corruptio, & quidem præcipiti ſucceſſu, ſeſe invicem conſequuntur.

Corruptio hæc itaque eſt directum & adæquatum evertendi funditus, & citiſſime quidem, corporis, inſtrumentum. Motus ille ſecretorius & excretorius, ſeu circulatio ſangvinis, quia corruptioni huic â priori, ſeu præſervativè opponitur, peragitur proinde æqualiter, & placidè quidem

ac

ac velut otioſè. Quando verò hæc ipſa corruptio, à poſteriori, accepto aliunde repentino impulſu, vel penitus fermentali impetu, in & prævaleſcit, tunc unum ex duobus valdè ſonticis conſectariis ſuccedere neceſſarium propemodum eſt; Nempe vel phyſico- Mechanica ratio poſcit, ut motus illi ſecretorii atque excretorii, contra hæc damna jam inſoleſcentia fortius & velocius peragantur: Vel ſi hoc non fiat, aut, propter partis ſpecialem ineptitudinem, ne quidem fieri posſit, ſuboritur motuum ad hunc finem ſpectantium turbulenta, in trepidis rebus, tentatio, & denique irritis ac deſperatis conatibus, deſertio.

Utriusque exemplum habemus eminens; prioris quidem in febribus contagioſis, & corypnæo omnium, peſte: Poſterioris, in ſimplici, ignobilium etiam partium, ſphacelo.

Jam, ſi materia efficax, putrefactionem talem ſuſcitans, in corpore, & præcipuè humoribus, jam præſtò ſit, quæ intenſione ſpeciali, conſtanti, vigili, & tamen ſimul bene proportionata, laborioſè ê corpore proſcribenda ſit; Et actu in hoc negotio jam nunc occupata ſit motuum vitalium energia: Quid hoc tempore minùs convenire posſit, quam materias valdè habiles ad hoc genus corruptionis ſuppeditare, adeoque fomitem corruptioni ſubminiſtrare. Quid vero magis ſano conſilio conſonum, quam omittere & abhorrere hujusmodi cœptum.

Quod jam attinet carnium, & quarumlibet ex animalibus (præter lac) deſumtarum partium ſubſtantiam, notum utique eſt, etiam ex hactenus dictis, quod illa ê talibus principiis mixtionem ſuam nacta ſint, quæ ad ſubeundam & formandam putredinem, aptiſſimæ exiſtant. Jam vero uti reliqua, etiam hodierna ſana Philoſophia, nuspiam facile ſupponit nudas converſiones unius ſubſtantiæ in aliam: Præcipue poſtquam Chymia ſenſus convincit, non tam puras transmutationes figurarum, ſed tantum ſituum, ſeu novas transpoſitiones mixtionum, fieri ſolere: Non poteſt ex his circumſtantiis aliter concludi, quam easdem has animalium partes ſimplici concoctionis illa reſolutione hanc ſui texturam non amittere; Idq; tum à priori, quia mixtio

xtio partium animalium é rebus putredinosæ fermentationi aptissimis constat: Tum à posteriori, quia eidem mixtioni, in nutritione corporis animalis præstanda, denuo inservire debet. Cum vero in statu sui attenuato fluido, quando videlicet in chylum & lympham redigitur, intimæ subversioni resolutoriæ & transpositoriæ, fermentativo-putredinosæ, maxime apta & exposita est, propterea tanto minus securus est ipsius concursus. Unde summo utique jure abstinentia & abhorrescentia ab hujusmodi rebus, tali tempore suscipitur & quamdiu res in eo statu sunt, servatur.

Rectè itaque, & convenientissime cum ratione, non saltem in genere expedit, ut tali tempore à cibis potius abstineat, quàm ut eos magnopere desideret, Natura[seu utcunq; tandem voces illud, quod appetit] siquidem eo tempore quo sollicita assidua, laboriosa, quin aliquatenus impetuosâ agitatione in humoribus opus est, & toti machinæ periculum destructionis impendet, tali inquam tempore, de otiosa sustentatione corporis, quasi rebus tranquillissimis, curiosum esse, non expedit: Ipsam etiam bonam elaborationem, & distributionem, sub fervore, necessariarum vehementiorum commotionum benè fieri non integrũ est: Verum etiam in specie tanto minus talia tunc appetit, quæ præter dictã hanc generalem inconvenientiam, specialissimam illam periculosam, corruptibilitatem in sese continent. Rectius vero fert appetitus his temporibus ad sapida, & quidem vel subacida, vel in acorem proclivia, dulcia. Sanè vero quantumcunque etiam paulo ante dictæ perturbationi generali, talia etiam, quoad concoctionem & distributionem, subjaceant, tolerabiliora tamen ad minimum, effectu atque eventu, existunt, utpote utique neque ita plane immediate in putrefactionem, neque in illum specialem gradum putidæ putrefactionis propendent. Unde quidem ferè consultius est, nihil omnino in his morbis appetere, quam vel turbulentum, vel plane noxium eventum expectare, imo quasi invitare: Unde quidem absurda illa est solicitudo, quà patientibus timetur, ne inedia vires nimium consumant; cum turbulentis successibus, & valde dubiis eventibus

vi-

vires longe celerius consumantur aut confundantur, quam illa purè alimentari restauratione ullatenus refici possent, cum inter hanc, & veram virium analepsin tantundem discriminis intercedat, quam inter structuram partium & earundem motum, sive, ut receptis formulis loquar, inter corpus & spiritum. Contra vero rectissime utique & convenientissime, cum impatientia etiam, expetit potum; siquidem in celebrandâ secretione auctiore, in calore sub his actibus vehementiore, in transpiratione sub hoc ipso copiosiore, undique, non modò magis, quàm ullo modo cibus, quadrat potus, sed etiam apprimè ad hoc negotium, directè atque positivè prodest, & conducit: Dummodò scilicet ejus craseos existat, qua incommoda illa, quæ alimentarium effectum consequi diximus, non inferat, neque etiam actuali frigore, aut repentinâ ingurgitatione, spirituositate quoque æstuosâ, non peccet & noceat.

Hæc, occasione indicendi speciminis Inauguralis,

DN. JOHANNIS JACOBI EHWALD,
Medicinæ Candidati dignissimi,

de cujus ortu, vita atque studiis, ut præcipua publice declaremus, natus est ille Misenæ, Patre Nobiliss. & Experientiss. DN. JOH. NICOL. EHWALDT, Med. Doct. Phys. Urbis, Illustris Scholæ, & districtus, celeberrimo, sed in infantia adhuc Nostri defuncto. Mater, quam superstitem diutissime exoptat, JOHANNA DOROTHEA Rüthigerin/ Matrona pietate & virtute spectatissima. Ab hac à teneris piè probèque educatus, ad studia destinatus, eoque nomine Scholæ Civicæ Moderatoribus laudatissimis DN. GOTHOFREDO PENCKERO, & M. DAN. PETERMANNO, t. t. Rectori Celeb., piè jam defunctis, commendatus; post hac vero Illustris Gymnasii Doctoribus commissus, è quibus DN. M. BECKERUM, nunc Archi-Diacon. Dresdensem meritiss. Dn. M. GOTHOFREDUM KIRSTENIUM; DN. M. WILCKIUM, DN. M. RABNER, honoris gratia nominat. Horum fideli informatione ad altiora benè instructus, Lipsiensem Academiam

anno

anno 1693. adiit. Ubi mox in Philoſophicis D. D. WEIDELIUM ſecutus, Medicam artem, cui animum ſemper adjecerat primo quidem & primario pertractavit, Collegio Univerſali ſeu Curſu Medico, ſub ductu Excellentiſſ. D. D. RIVINI, P. P. & Facultat. Aſſeſſ. Celeberr. cujus fidem & favorem maximè celebrat: Chirurgiam ſolidiorem hauſit apud Excellentiſſ. D. D. BOHNIUM, P. P. famigeratiſſ. cujus ſummam benevolentiam ſimiliter plurimum extollit. Interfuit tribus Section. Anatomicis Excell. D. D. PETERMANNI, P. P. Celeberr. & uni à DN. D. ORTLOB, Profeſſ. Extr. adminiſtratæ: Experimenta Curioſa Phyſica, & Colleg. Pharmaceuticum D. D. SCHAMBERGERI percepit; Lectiones quoque publicas omnes magna induſtria audivit. Hinc anno 1698. in Patriam urbem reverſus, huc usque Praxin ibi feliciter exercuit. Adjecit denique animum ad obtinenda Jura atque Privilegia Artis noſtræ ſumma, eaque in noſtra Academia petere inſtituit; Cumque Examinibus conſvetis eruditionem ſuam luculenter comprobaſſet, voti compos fieri meruit. Supereſt ſpecimen Publicum Inaugurale quod ſub noſtro Præſidio, proximo XXII. Maji diſputatione ſolenni exhibebit. Ad quem Actum Academiæ noſtræ Magnificum DN. PRO-RECTOREM, Excellentisſimos PROCERES, FAUTORES, CULTORES, HOSPITES, officioſiſſime & humaniſſime invitamus.

P. P. Halis Magdeburgicis d. XXI. Majii
MDCIC.

L. S.